

non seruato rerum ordine: ex integro matris corpore, integrum corpus Christus assumpsit. Augustinus contra Felician. Arianum, capite 8. 4 Ieiunia, & huiusmodi corporales exercitationes, quas Paulus vocat, 1. Timoth. 4. versu 8. spernebat: imò res medias pro *ad discipulis* habebat. Ieiunia non spernebat necessaria, & quæ essent animorum ad Deum precandum præparationes, & non superstiosa, qualia sunt in Papatu hodie omnia. Virginitas autem primùm res fuit & ad tempus suscepta, & libera etiam in fœminis, vt docet Cyprianus: post autem tanta illius admiratio homines cœpit, vt res in votum perpetuum abierit. Primus autem Basilus virgines instituit consecrare, vt ait Ruffinus libro 2. capite 13.

CAP. LXXXIII.

Arabici qui fuerint. Erroris eorum caput vnum enumeratum



*Q*UAM Eusebii historiam perscrutatus essem, cui Ruffinus à se in Latinam linguam translata subsequentiū etiam temporum duos libros addidit, non inueni aliquam heresin, quam non legerim apud istos, nisi quam in sexto libro ponit Eusebius, narrans eam extitisse in Arabia. Itaque hos hereticos, quoniam nullum eorum ponit auctorem, ¹ Arabicos possumus nuncupare, qui dixerunt ² animas cum corporibus mori, atque dissolui, & in fine seculi utrunque resurgere. Sed hos disputatione Origenis presentis, & eos alloquentis, celerrimè dicit fuisse correctos.

¹ Arabicos possumus.) Ferax hæreseôn Arabia, quemadmodum & illi vicina Ægyptus. Vti enim

enim